

Cur itaque in planis speculis locus imaginis æquilater a speculo distet , ac objectum ipsum , videbimus , si ponamus in fig. 1. objectum CD emittere radios e quovis sui punto in speculum AB, (confusionis evitandæ gratia apponimus binos tantummodo e duabus objecti extremitatibus exeuntes) & hic in F,G,H & I: hi secundum legem reflexionis reverberantur & incidunt in oculum EK, qui quidem objectum quod in CD ponitur videt, at quia mens , ut supra diximus , secundum linneam rectam & radios oculum immediate attingentes judicare est adsueta , hinc prolongat radios EF & KG, EH & KI a speculi superficie reflexos usque ad finem illum concussum in c ac d, e quibus punctis utrosque directe ad oculum more solito emissos credit , ideoq; vera objecti puncta C ac D eodem refert, ibidemq; adeo imaginem ejus videt.

§. III.

Cum vero in speculis planis , tanta & tam æquabilis (ut cum Hamelio l. 2. de Corp. anim. cap. 7. loquamur) sit radiorum reflexio , quam esset sublato omni speculo recta luminis ad oculum propagatio , ideo etiam imago tantum ultra speculum apparet, quantum est citra : dum enim v. gr. radii CF & CG (fig. 1.) e speculo piano reflectuntur , non magis illi tunc per specularis corporis politiem coguntur vel disperguntur , quam si non reflexi in recta linea à c ad E & K processissent : atque sic quia levitatem & planitatem speculi caussam hujus phænomeni esse videmus , neque distantiam , nec motum nec positum aliquid immutare posse in propatulo est ; imo si dato quocunque objecti oculiq; positu , radios CFE & CGK ab illo adhunc reflexos , juxta regulas §. 6. cap. II. tradi-